

lores à vesicatoriis excitatos *unguentum* ex cortice secundò & viridi sambuci, derafo & in oleo dulci cocto ad legem artis. Laudem quoque meretur *unguentum de lythargyriò, de cerussa* &c. Qui ex mente *Job. Jesseni & Fallopi* opium addunt, superfluum, imò inconueniens faciunt.

Si verò cantharides, præsertim in febribus pestilentialibus, applicatæ, vesicam tentent, molestiasque in eadem excitent, illis facile mederi posse scribit *Heurnius l. 19. de febb. pestilent.* emulsione papav. albi ex serò lactis; cui adjungi demùm possunt semina frigida majora, malvæ, violariæ &c. Imò eadem præcaveri possunt addito *semine ammeos*, juxta *Riverium l. c.* aut *cardomomi* ðj. emplastro. Neque parùm hâc in re præstabunt medicinæ ex Saturno paratæ, tam interiùs assumptæ, quàm exteriùs adplicatæ.

Cùm autem planè siccati debent, commendatur *unguentum camphoratum Rhasis, emplastrum de spermate ranarum camphoratum,* & alia.

Deligatio manè & vesperi repetenda, imponendo semper novum paratum hunc in finem emplastrum. *Prævotio* sufficere videtur matutinis horis instituta, quòd malum circa vesperam exasperetur. *Verùm* nihil exin metuendum nocumenti.

CAPUT VIII

usum vesicatoriorum in supremi ventris adfectibus notat.

In signis horum est usus in his & in exteris regionibus, isque *generalis*, ad plurimos corporis affectus quàm maximè conducibilis, cuius testis est *Marcus Aurelius Severinus Pyrotech. Chirurg. l. 2. c. 8.* & alii ibidem allegati autores. Revellunt enim, divertunt, attrahunt, & evacuant simul non solùm ex propinrioribus, sed etiam remotioribus.

Specialis usus satis notus est; salutarem enim operam locant eamque singularem in capitis morbis expellendis; Et in specie in *dolore capitis essentiali* frequentissimè applicanda commendantur. In contumacissimâ cephalalgia derafo capillitio vel parti solùm dolenti,